



Clypevs Theologiæ Thomisticæ

Continens Tractatus de erroribus Pelagianorum, de Gratia, de
Iustificatione & Merito, de Virtutibus Theologicis, & quatuor Cardinalibus,
ac de ineffabili mysterio Incarnationis

Gonet, Jean-Baptiste

Parisiis, 1669

Digressio utilis & jucunda, De præcipuis credibilitatis nostræ fidei
argumentis,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77342](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77342)

& sanguis, nullo modo per manducationem & potationem alteratur, aut corrumpitur: *Inquit Augustinus loco citato.* Et preparavit eis cibum seipsum, quis audeat manducare Dominum suum? & tamen ait, Qui manducat me, vivet propter me. Quando Christus manducatur, vita manducatur, nec occiditur, ne manducetur, sed mortuus vivificat: quando manducatur, reficit, sed non deficit. Non ergo vivemus, fratres, manducare istum panem, ne forte finiamus illum, & postea, quod manducetur, non inveniamus: manducatur Christus, vivit manducatus, quia resurrexit, occisus. Addo insuper per manducationem & potationem corpus & sanguinem Christi in substantiam ipsorum sumendum non converti, quin imò eos potius, cum sit majoris virtutis, ad se convertere, ut eleganter ostendit idem Augustinus lib. 7. Confessionum, cap. 19. ubi loquens in persona Christi, sic ait: *Cibus ego sum grandium, cresce & manducabis me: nec tu me mutabis in te, sicut cibum carnis tue, sed tu muneris in me.* Spiritualiter scilicet; reddit enim Eucharistia homines in affectu Deo simillimos, & veluti Deiformes, juxta illud magni Leonis serm. 15. de Passione: *Non aliud agi participatio corporis & sanguinis Christi, quam ut in id quod sumimus, transeamus: quod certe valde mirabile est, & maximum divinarum virtutum argumentum.* Sed de hoc fusè in Tractatu de Eucharistia.

Disp.
pro-
miali.

236.

Obijcies quare: Si mysteria nostrae fidei essent evidenter credibilia, nemo sana mentis posset illa rejicere, & contrarium illis judicare, quandoquidem non videtur quod aliquis possit non assensu ei quod evidenter cognoscit, & judicat esse credibile, seu fide dignum: At hoc est contra experientiam: Ergo mysteria nostrae fidei non sunt evidenter credibilia.

237.

Respondet negando sequelam Majoris: licet enim mysteria nostrae fidei sint evidenter credibilia, multi tamen sunt quibus ea non bene proponuntur, & multi eorum quibus bene proponuntur, non ea bene expendunt, sed intellectum averunt ab examine, & diligenti eorum consideratione, convertuntque ad alia opposita, victi difficultate qua occurrat in credendis sigillatim mysteriis particulatim, de se arduis plerumque, & non modo intellectui difficilibus, verum etiam sensui, seu vitae carnali repugnantibus. Quare metu captivitatis molestae in obsequium fidei, & honore obligationis ad vitam austeriorem, vel examen refugunt, vel motivorum vim debilitare conantur, atque evidentiam antea sibi notam, & satis apparentem, oppositis ratiunculis obscurare, & intellectum in assensum contrarium tandem inducere; similes illis, qui amore in finis antea expectati abijciunt, victi horrore difficultatis alius cuius mediis necessarii. Addo, quod in poenam peccatorum precedentium Deus nonnunquam denegat infidelibus auxilia efficacia, quibus intellectus eorum applicetur ad percipiendam evidentiam credibilitatis mysteriorum nostrae fidei: juxta illud 2. ad Corinth. 4. *Deus hujus seculi exornat oculos mentes infidelium, ut non fulgeat illis illuminatio Evangelii gloriae Christi.*

DIGRESSIO

utilis & jucunda.

De precipuis credibilitatis nostrae fidei argumentis.

DE his fusè & eleganter differunt plures ex SS. Patribus, Tertullianus in Apologetico, & in libro ad Scapulam; Justinus Martyr in utraque Apologia, altera ad Antoninum Pium, altera ad Senatum Romanum; Chrysostomus homilia, quod Christus sit Deus; Augustinus libro de utilitate credendi, ad finem libri, libro contra Epistolam fundamenti cap. 4. libri de civitate à cap. 21. usque ad 23. & lib. 22. à capite, usque ad 10. Eusebius toto fere opere de preparatione Evangelica, sicut & altero de demonstratione similiter Evangelica; Arnobius lib. 8. contra Gentes; & Vincentius Lirinensis in suo commonitorio, Inter Recentiores vero elegantissime & locupletissime de his scribit Hieronymus Savanorola lib. 2. de Triumpho Crucis, & in alio libro cui titulus est, *Solutum itineris nostri*; Granatensis in Catechismo parte 2. cap. 3. & sequentibus; Marcellinus Ficinus, in libro de Religione Christiana; Bosius duobus tomis de signis Ecclesiae; Ludovicus Vives, quinque libris de veritate fidei Christianae; Spiritus Roterus, Ordinis Praedicatorum & plures alij. Ex Scholasticis autem D. Thomas 1. contra Gentes cap. 6. & ibi Ferrariensis; Michael Medina lib. 2. de recta fide in Deum; Belarminus lib. 4. de Ecclesia; Valentia quaest. 1. de fide, puncto 4. quem Turrianus fere descriptit; Bartholomaeus Medina quaest. 3. introductoria in 3. p. D. Thomas; & Joannes à S. Thoma tom. 1. in 1. p. tota disp. 1. & 2. Quae illi fusè, & lato calamo scripserunt, nos brevitate studentes, breviter & succincte exponemus, omniaque credibilitatis nostrae fidei motiva seu argumenta, quae innumera sunt, ad duodecim precipua reducemus, quae sunt veluti duodecim stellas, quibus praefulget mystica illa corona Ecclesiae, de qua dicitur Apoc. 12. *Signum magnum apparuit in caelo, mulier amictu Sole, & in capite ejus corona stellarum duodecim.*

Antiquitas fidei nostrae, primum credibilitatis ejus argumentum.

Hoc argumentum magni ponderis est, potius antiquissima est: Ergo mendax & falsa, effrenom potest. Consequentia legitima est: aut enim egredere discunt Tertullianus in libro de praescriptionibus, cum mendacium sit semper veritate posterius (illud enim verè, & formaliter appellatoque mendacium, quod à vero jam posito deficit & declinat) si nostra Religio antiquissima sit, & omni aliam praecedat, necessario sequitur eam mendacem & falsam esse non posse. Antecedens vero probatur primo: quia fides nostra ab ipso mundi nascentis exordio fuit primo parenti tradita: ipsum enim in fidei mysteriis fuisse instructum, ut Deo ipso praecatore, Sap. 10. insinuat, cum dicitur: *Hec illum qui primus formatus est à Deo, pater orbis terrarum, cum solus esset creatus, custodi-*

et educit illum a delicto suo, et dedit illi vitam continentem omnia. Primus patens a Deo sic instructus, filios suos docuit, eademque fides permansit usque ad Moysen, cui successit Abraham, quem Ecclesia in Pontificali, *seminarium fidei nostrae* appellat, & sic successive per Patriarcharum ministerium usque ad Moysen pervenit, & ab illo usque ad Christum.

240. Secundo probatur idem Antecedens: Scriptura Sacra, in qua fides nostra continetur, antiquissima est, ut docet Iustinus in *Paroenetico*, ubi demonstrat Moysen fuisse antiquissimum omnium Scriptorum, & Graecos Scriptores non nisi longo tempore post captam & everfam Ierosolymam ab Asyris cepisse, quod tamen tempus multis seculis antecessit Moyses. Idem asserit Tertullianus in *Apologético* cap. 18. ubi sic Romanos alloquitur: *Si primam instrumentis, & literis auctoritatem summam antiquitatem vendicet, quid Sacra haec Scriptura antiquius, quae omnes Gentilium libros saeculis vincit? Moyses enim, qui Pentateuchum scripsit, vetustissimos quoque Poetas & Scriptores praevenerit, ceteri quoque Prophetae, et si Moysi posthumant, extremissimi tamen eorum, non revolesores deprehenduntur primoribus vestris (6 Romanis) sapientibus, & legis, & historicis. Fides ergo nostra perantiqua est, & omnem haeresim praecedat: unde cum ille qui prior est tempore, potior sit iure, ut habeatur de regulis juris in 6. regula 4. potior est conditio Catholicorum, ab antiquo possidentium, quam haereticorum, non veteri supervenientium, ad quos proinde cum eodem Tertulliano libro de praescripto, capite 37, merito dicendum est: *Quis estis? Quando & unde venistis? Quid in meo agitis, non mei? Quo denique Marcion iure sylvam meam cadis? Quae licentia? Valentinus fontes meos transveris? Quae potestate? Appeller, limites meos commoves? Mea est possessio, quid hic carere ad voluntatem vestram seminatis, & pascitis? Mea est possessio, olim possideo, prior possideo, habeo origines firmas ab ipsis auctoribus quorum sum res. Ego sum haeres Apostolorum: sicut caverunt testamentis suis, sicut fidei commisserunt, sicut adjuraverunt, ita teneo. Vos certe exheredaverunt semper, & abdicaverunt, ut extraneos, ut inimicos.**

§. II.

Veritas, Sanctitas, & vis ac efficacia fidei nostrae, secundum credibilitatis ejus argumentum.

241. Haec tria motiva seu argumenta insinuat Propheta Regius Psal. 18. dum ait: *Lex Domini immaculata, convertens animas, iudicia Domini vera*: nam per haec posteriora verba, fidei nostrae veritas, per priora vero ejus puritas, seu sanctitas, & virtus quam habet ad convertendas animas, declarantur, ut docet Divus Thomas in expositione hujus Psalmi, ubi ait quod haec verba ponuntur ad differentiam legis humanae, in qua quaedam illicita tolerantur, sicut usura & prostibula, non enim potest omnia corrigere; lex vero Domini est omnino immaculata, id est, omnia mala & peccata excludens, quia nullum permittit, vel tolerat peccatum, sed docet quodlibet peccatum mortale, etiam in corde tantum commissum, poenam aeternam puniri, & quodlibet veniale poenam temporalem, unde fides nostra non invaluit in mundo, mala alium qua permittendo, vel delicias promittendo, sicut lex Mahumeti, & plurimum aliorum infidelium, sed resistendo appetui temporalium, & ab his praesentibus avertendo, & solum rationem sequen-

do, quod est evidens signum veritatis illius. Et ex hoc sequitur, quod illa non solum sit *immaculata*, sed etiam *convertens animas*, quia non tantum ordinat de actibus exterioribus, sicut lex humana, sed etiam de interioribus: praecipit enim Matth. non solum non occidere, sed etiam non irasci, non solum non adulterari, sed neque vide remulierem ad concupiscendum, & alia similia. Tres ergo illae fidei Christianae dotes & excellentiae, nimirum veritas, sanctitas, & vis, seu efficacia, paulo fusius hic expendenda sunt, quia ex his sumitur evidens credibilitatis ejus argumentum.

Primo igitur Christianismo fidem conciliat doctrinae quam profitemur veritas: nihil enim est in tota doctrina Christiana, quod ratio falsum esse ostendat, imò consonum sibi non judicet pensatis omnibus: ita ut ratio, si eam sequamur, miretur tam sublimia de Deo sensa, de auctoritate immortalitate, de fine ultimo, de mediis ad ipsum consequendum institutis, de virtutibus & vitiis, de bonorum operum premio, & peccatorum poenis, & aliis quae ad Dei cultum, & ad omnem virtutem, morumque eximiam sanctitatem, vehementer impellunt; miretur etiam Decalogi aequitatem, amorem erga hostes, conjugii fidelitatem, aliaque id genus, quae naturali lumine facilis attingi possunt. Nullus est etiam excogitabilis altior sensus, & omni sapientia conformior, de Deo, ejusque perfectionibus, quam is quem tradit doctrina Catholica: omnia enim quae de ipso credenda proponit, plurimum commendant ipsius excellentiam in essendi maiestate, ipsius omnipotentiam in operandi virtute, ejus sapientiam & providentiam in mundi gubernatione, ejus bonitatem & liberalitatem in bonorum & premiorum distributione, ejus iustitiam & aequitatem in severa delictorum punitione, & denique infinitam ejus sanctitatem in morum rectitudine & puritate: quod certe evidens argumentum est, talem doctrinam esse a Deo, & spiritu veritatis profectam; nam spiritus mendax & fallax, utpote a Deo alienissimus, non faveret summa illi de Deo aestimationi: unde superflitiones ethnicae, quia demonem auctorem habebant, vilissimum habuere de Deo conceptum & aestimationem. Item quaecumque doctrina Christiana tradit, quae ratio vel experientia possunt discutere, reperta sunt vera, ut de mundi dispositione, & creatione, animarum immortalitate, & aliis. Si vero quaedam proponit de Deo, humani intellectus captum superantia, ut Trinitatem Personarum divinarum, Verbi incarnationem, & alia quaedam mysteria, ratio ipsa judicat aequum esse sentire de Deo supra rationem, & soli Deo de se credere, qui solus se novit, ut beatus Hieronymus. Denique manifestum veritatis nostrae fidei argumentum est, quod cum Scriptura Sacra de rebus fere omnibus, non solum supernaturalibus & divinis, sed etiam naturalibus, moralibus, & humanis differat, nunquam a vero aberraverit, & nihil sit quod Adversarii unquam potuerint convincere mendacij: docet enim reliquorum omnium Scripturarum experientia, in multiloquio non deesse peccatum, esseque supra naturam vires, omnes veritates tam speculativas quam practicas, tam supernaturales quam naturales, assequi. Unde cum Tertulliano concludendum est: *Veritatem saeculo operatissimam, Philosophi affectant, possident Christiani*; vel cum Pico Mirandulano dicendum: *Veritatem Philosophia quaerit, Theologia invenit, Religio possidet*. Addamus cum Irenaeo: *Non oportet apud*

alios querere veritatem, quam facile est ab Ecclesia sumere, cum Apostoli quasi in depositarium, d. ves. plenissime in ea contulerint omnia quae sunt veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitae: haec est enim vita introitus, omnes autem fures sunt & latrones, propter quod oportet devitare quidem illos; quae vero sunt Ecclesia, cum magna diligentia servare, & apprehendere veritatis traditionem.

243. Sanctitas verò Christianae doctrinae in eo apparet, quod nulla est levis offensio contra Deum, vel proximum, aut propriam honestatem, quam non condemnet; nullum pietatis aut virtutis officium, quod non commendat; nullus modus amandi Deum excellentior eo quem tradit, ex toto corde, tota animâ, totis viribus; nullus finis praestator eo ad quem dirigit; nullum medium necessarium ad illum assequendum, cuius notitiam & usum non doceat; nullum motivum efficacius ad vitam piè & sanctè instituendam, iis quae suggerit, sive ex Dei cuncta cernentis praesentia, sive ex iudicio futuro, sive ex praesentia praemij, & poenae magnitudine, sive ex aliis capitibus: nullis denique efficacioribus mediis mens humana compelli potest ad omnem religionem erga Deum, & charitatem erga proximum, quam iis quae doctrina Catholica tradit. Hinc est quod admirabiles & quasi caelestes homines visi sunt, etiam infidelibus, & videntur hi, qui huic caelesti & purissimae doctrinae conformem vitam agunt. Ita Paulus ad Philippenses 2. de primis Christianis affirmat, eos in medio Gentilium lucere, sicut luminaria in mundo. Sic de S. Luciano martyre refert Metaphrastes in eius vita, Ethnicos solo ejus conspectu ad fidem Christi fuisse conversos. Et Athanasius de S. Antonio scribit in ejus vita, quamvis latere maxime cuperet, & satageret, orbis tamen universi oculos ad se convertisse, admirabili sanctitate vitae. Et de S. Hilarione idem testatur Hieronymus; de Simeone Stilite Theodoretus; & de Martino Sulpitius. Item D. Chrysostomus homil. de recta vita, ait unius Christiani modesti aspectu, facilius converti Ethnicos, quam aspectu caeli & terrae. Hanc denique Ecclesiae sanctitatem demonstrant infinita propemodum Monachorum agmina, & innumerae Religiones & Ordines, non ad alium finem instituti, nisi ad divinum cultum, & proximorum salutem promovendam, & ad amulandum in terris perpetuam & indissolubilem unionem, quam cum Deo clarè viso Beati habent in caelis. Unde cum Eudoxia Theodosij junioris conjux, Ierosolymam venisset, ut sacra loca inviseret, & vidisset innumera ferè monasteria, inter se vicina, quibus praerant Euthimius Abbas, praer admiratione exclamavit: Quam pulchra sunt tentoria tua o Jacob, habitationes tuae o Israël! Numer. 24. Demum in ejusdem veritatis confirmationem adduci potest testimonium Plinij junioris, qui de Christianis ad Imperatorem Trajanum scribens: Praeter obstinationem non sacrificandi (nempe falsis diis) nihil in illis comperisse testatur, quam ceteris antelucanos ad canendum Christo & Deo, & ad considerandum disciplinam: homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam, & cetera scelera prohibentes, ut refert Tertullianus in Apologetico cap. 2.

244. Tertia qualitas doctrinae Christianae, nimirum vis & efficacia, elucet in eo quod homines à summa impietate ad summam pietatem traducit, ut de Thessalonicensibus scribit Paulus 1. ad Thessal. 1. idque tam promptè & celeriter, ut merito dicere

A possumus, quod unius anni praedicatio Evangelica, plus attulit virtutis & iustitiae in mundum, quam omnium Philosophorum scholae omnibus saeculis efficere potuissent. Quare à Prophetia Regio (ut supra annotavimus) Iex Domini non solum immaculata, sed etiam convergens animas appellatur, nempe quia miram habet vim & efficaciam ad convertendas animas, & ad pravorum hominum mores corrigendos. Unde pulchrè Lactantius lib. 3. cap. 25. Dei praecepta, quia & simplicia & vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum qui sit iracundus: maledicus, effrenatus, paucissimis Dei verbis tam placidum quam ovem reddam. Da cupidum, avarum, tenacem; jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis; jam crucis & ignis, periculum & taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem; jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem, & sanguinis appetentem; jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem; continuo & equus, & prudens, & innocens erit; tanta enim divina sapientia vis est, ut in hominis pectus infusa, delictorum sultitiam uno semel impetu expellat.

Dicent fortè Gentiles, repentinas illas morum mutationes apud suos extitisse, ut de Pol'emone fertur, qui cum vitam flagitiosissimam duceret, scholam Xenocrati, de virtutis excellentia & pulchritudine differentis, ingressus, repente in virum alterum mutatus est. Sed responderetur primò in moribus Gentilium nunquam fuisse perfectam mutationem: nam etsi variis virtutibus nonnumquam praediti fuerint, semper tamen vitio aliquo, si non palam, saltem clanculum, laborarunt, ut de Socrate, Platone, & Aristotele, Philosophorum Principibus, notum est. Secundò si quae mutationes repentinae in eis extiterint, fuerunt rarissimae, & fortè unum aut alterum ad emendationem vitae prioris Philosophia Paganorum induxit, ubi fides Evangelica infinitos omnis aetatis, sexus, conditionis, generis, à summa impietate, & vivendi licentia, ad summam pietatem, & morum puritatem & sanctitatem traduxit. Tertiò Philosophia ethnica nonnullis divitiarum & voluptatum contemptum edocuit: sed fides Evangelica Christianos edocet mundi, & sui contemptum, qui longè difficilior est; humilitatem cordis, amorem crucis, & dilectionem inimicorum, quae ut docet Tertullianus lib. ad Scapulam, cap. 1. est veluti proprius Christianorum character, eos à Gentilibus & Judaeis discernens: Jubemur (inquit) inimicos diligere, ut haec sit perfecta & propria bonitas nostra, non communis: amicos enim diligere, omnium est; inimicos autem, solum Christianorum.

§. III.

Modus admirabilis, quo in mundum fides Christiana inducta & propagata est, tertium credibilitatis ejus argumentum.

Pura in hoc argumento continentur admiratione dignissima, & quae fidei nostrae propagationem, opus esse duntaxat divinae virtutis manifestè demonstrant. Primum est promptitudo seu celeritas, quae Christi fides per totum ferè mundum introducta & diffusa est: nam Paulus ad Coloss. 1. ait jam suo tempore fidem Christi fructificasse in universo mundo, & Justinus Martyr, qui vixit initio secundi saeculi, in Dialogo cum Triphone

ait. Nullum hominum genus est: sive Barbarorum, sive Græcorum, aut eorum qui plaustris pro domibus utuntur, vel qui domorum usum non habent, apud quos Jeshu, qui cruci suffusus est, nomen, preces & Eucharistia omnium rerum Creatori non sunt. Eadem habet Irenæus lib. 1. cap. 3. & Tertullianus, qui etiam secundo seculo floruit, cap. 7. libri contra Iudeos dicit, Christianam fidem latius fuisse donatam, quam Romanum imperium; multaque loca Romanis inaccessa, fuisse Christo subdita. Denique Plinius lib. 10. Epist. 97. ad Trajanum Imperatorem: Non civitates tantum (inquit) sed & viros, atque agros, superstitionis istius (Christianæ) contagio pervagata est. Certe satis constat prope jam desolata templa (idolorum) cepisse celebrari, & sacra solemnitas diu intermissa. Unde bellè Chrysostomus in libro quod Christus est Deus, ait quod sicut Deus initio mundi dixit, Germine terra herbam virentem, & in momento omnia fuere pratum, omnia hortus; ita iussit ut Ecclesia brevi tempore fieret, & nemo potius obfistere, & ut Synagoga destrueretur cum templo, & nemo potuit restituere.

247. Secundo admiratione dignissimum est, tam celerem mundi conversionem, & fidei per totum orbem diffusionem, factam esse per Apostolos, id est per pauculos piscatores, antea rudes & idiotas, imbelles, pauperes, contemptibiles, non armorum potentia, non Magnatum presidio, non opum, voluptatum, aut honorum illecebris, non eloquentia vi, sed solâ Christi virtute & sapientia, ut eleganter expendit Chrysostomus serm. 3. Pentecostes, his verbis: Peragravit Piscatores orbem terrarum, & infirmum eum invenerunt, ad sanitatem redeverunt, & in ruinâ positum, ad stabilitatem revocaverunt: non solum moventes, non arcus tendentes, non sagittas mittentes, non pecuniam largientes, non in eloquentia confidentes, pecunia indigentes, sed regnum celorum possidentes, non habentes humana solatia, habentes autem Dominum secum. Peragravit universum orbem oves simul cum lupis: & vulnerata a bestiis non sunt oves, sed magis lupi ad ovium manus vendicem sunt condesci. Et in libro quod Christus est Deus, sic dicitur, nemo unquam adificans murum ex cemento & lapidibus, si manus ei ligentur, posset opus perficere: Apostoli autem non tantum ligati, sed innumera bilia passi, edificaverunt toto orbe Ecclesiam, & fidem per totum mundum disseminarunt, contradicentibus omnibus, repugnantibus Principum & Magistratum potentia, Philosophorum sapientia, Rhetorum eloquentia, repugnantibus denique humanis sensibus & affectibus: in quo certe elucet maxima vis & potentia fidei nostræ, & crucis Christi. Nam, ut rectè dicitur Medina lib. supra citato de recta fide in Deum, cap. 4. cum nihil temporale, nihil caducum, nihil ad fluxum & terrenam felicitatem conducens, Majores nostros ad Christianam vivendi rationem pelleret, debuit esse divinum aliquid, quod in Christiana Religione, primisque illius fundatoribus & propagatoribus adverterunt. Nec enim erant tani stulti & amentes, ut absque ratione se, famam, honores, vitam, fortunas, suæque omnia ceterarum pessandarent. Grande, inquam, fuisse oportet, quod impulsit illi homines, qui alioqui, sicut ceteri mortales, humanis affectibus tangebantur, legi ac religioni, quæ carni & sanguini bellum indiceret, præsentibusque omnibus spoliaret, contra eam quam a suis pro-

A genitoribus acceperant rationem vivendi, contra patrias leges, contra Principum imperia, contra cognatorum suasiones, contra uxorum, filiorum, ac parentum lacrymas, nomina dederunt, & in ejus verba, non vi & armis coacti, immo contra vim & animam peraverunt, neque ullis suppliciis & tormentis, ab ea suscipienda detererent, & accepta averni potuerint.

Alia consideratio hujus argumenti est, quod Apostolorum prædicatio non solum fidei, sed etiam viros sive avo doctissimos, Dionysium, Clementem, Irenæum, Justinum, Ambrosium, Aristidem, Athenagoram, Lactantium, Tertullianum, & alios viros eloquentes & doctos, qui Christianam legem totâ doctrinâ & facundia infestabantur, & convitiis, ac scommatibus profundebant, ut de se ait Tertullianus in Apologético cap. 18. Hec (inquit) nos visimus aliquando, de vestris summas, sunt, non nascuntur Christiani. Ipsi etiam Imperatores, Reges, & Principes, piscatorum doctrinâ patuerunt, & quos furor persequeretur, persecuti sunt, ut belle ait Augustinus lib. 22. de civit. cap. 7. qui etiam concione in Psal. 67. admirans quomodo Deus per piscatores mundum converteret, hæc scribit: Elegit Imperatores postea, sed melius est, ut Romanum venerit Imperator, pleret ad memoriam Piscatoris (id est ad Petri Apostoli sepulchrum) quam si ploraret piscator ad memoriam Imperatoris. Et Chrysostomus homil. 26. in cap. 12. Epistolæ ad Corinthios hæc scribit: Qui indum est purpura, & coronatus diademate, venit ut amplectatur sepulchra Petri & Pauli, & deposito fastu, totâ Reformatione, & Aristoteli scenefactorum, ut pro ipso ad Deum intercedant. Ergo ne Dominum virtutum vocabitis, cujus servi post mortem sunt protectores Imperatorum totius orbis?

248. Hoc argumentum duo continet credibilitatis. Primum sumitur ex Ecclesiæ firmitate & stabilitate, inter tot persecutiones quæ passa est, quæ certè evidens indicium est, illam speciali curâ & providentiâ protegi, & conservari a Deo: videas enim, inquit Medina, libro supra citato cap. 6. floridissimas & solidissimas qualque Respublicas, vel externis bellis, vel seditionibus internis abolitas: cum tamen contra, nulla persecutionum tempestas, nullus tentationis turbo, nulla procella calamitatum, Christianam fidem & Religionem demerferit, sed quanto vehementius diabolica & mundanæ persecutiones ingreſcebant, tanto magis novo germine pullulabat Ecclesia, nimirum quia fundata est supra firmam petram, contra quam portæ inferi prævalere non possunt. Cumque vel unius gentis potentia summis imperiis evetendis sufficeret, nam Assyrios Medos, Medos Persicus, Persas Græcos, duce Alexandro, Græcos Romanus deleivit exercitus, qui deinceps Gotis, Wandalis, Hunnis, Longobardis, Turcis, Alanis, Francis Imperium cessit invitus, in Ecclesiam tamen non Medi solum, non Persæ, non Græci, non Romani, sed nec universus orbis, unanimi conspiratione insurgens, prævalere potuit, Paucissimi Romani Imperatores Christiani, brevi temporis

spatio, universam idololatriam toto Romano Imperio expulerunt, non quidem propositis pœnis, sed Christianâ vivendi ratione permisâ. Contra verò pluribus sæculis, nec maximorum Imperatorum favores, nec gravissima supplicia, nec sævæ leges, nec infamæ notæ, nec certæ proseriptiones, nec cætera id genus, quæ in Christianos quasi in sacrilegos exerceri solebant, Christianam Religionem labefactarunt: sed inter has persecutiones, velut rupes in mediis fluctibus stetit firmissima, & quadam veluti antiperistasi, undeque obfessa, oppressaque, palma in modum crexit sese, & vegetior, potentior, augustiniorque effecta est.

Alicat.
emblem.
mat. 36.

Nititur in pondus palma, & surgit in altum. B

Quò magis & premiur, hoc magis tollit onus.

Secundum motivum petitur ex ejus incremento: nam tantum abest quod ex Ecclesiæ persecutionibus, quæ trecentis annis & amplius duraverunt, numerus Christianorum fuerit propterea diminutus, quin potius ex illis maximum incrementum habuit, ut constat ex historia tam prophana, quam sacra. Unde pulchrè Tertullianus & verè, sub finem Apologetici, sanguinem Martyrum vocat *semen Christianorum*: tyrannosque ea propter ad eos magis cadendum provocat istis verbis: *Hoc agite boni praesides, cruciari, torqueri, atterite nos: plures efficiamur, quoties metimur à vobis: exquisitor quaque crudelitas vestra, illecebra est magis sectæ.* Hinc etiam S. Iulianus, in Dialogo contra Triphonem, Ecclesiam viti comparat, quæ ipsa sui amputatione uberius redditur: *Non secus ac vinea (inquit) putatione, ita crescit Ecclesia persecutionibus.* Similiter S. Leo serm. 1. de Petro & Paulo eam comparat agro fertilissimo, in quo grana quæ singula cadunt, multiplicata renascuntur. Item Salvianus lib. de provid. hanc ait esse Christianæ vitæ rationem, ut inter ipsas persecutiones incrementum suscipiat, & inter prospera marcescat. Denique D. Hilarius lib. 4. de Trinit. in hanc rem bellissime ait: *Sicut olim crescentibus diluvij fluctibus, arca sublimius ferebatur, & tandem procellarum victrix requievit super montes Armenia: non dispari modo Ecclesia, dum exercetur, floret; dum opprimitur, crescit; dum contemnitur, proficit; dum ceditur, vincit.* In hujus veritatis confirmationem refert Zonaras in vita Diocletiani, eum Mediolani in Occidente, & Maximinum, ejus in Imperio socium, Nicomediæ in Oriente, Imperio sponte se abdicasse, quod non possent suis cadibus & tormentis Christianos extinguere, quin imò eos in dies incrementum maximum suscipere suis oculis intuerentur. Cui consonat id quod nostris temporibus in Japonia de Christianis Martyribus pronuntiasse fertur Tyrannus Imperator: *Frustra in eos sevir, è quorum cineribus plures in dies exurgunt.*

§. V.

Infelix exitus eorum qui fidem nostram oppugnarunt, quintum credibilitatis ejus argumentum.

249. **C**um falsa doctrinæ impugnatio, gratissimum Deo, qui est prima veritas, sit obsequium, dignum proinde laude & præmio, verisimillimum est illius Religionis falsa non esse dogmata, sed vera, cujus hostes & impugnatores gravissimis à Deo in hoc mundo fuere multati suppliciis: unde non leve sumitur credibilitatis nostræ fidei argumentum ex infelici exitu

eorum, qui eam oppugnaverunt, qui exploratissimus est. Nero enim mortem sibi conscivit, dicens: *Turpiter vixi, turpius morior.* Domitianus à domesticis septem vulneribus confossus occubuit. Trajanus paralisi & hydropisi, vel juxta Dionem, veneno sublati sunt. Adrianus nimio sanguinis fluxu exhaustus, sanguinis effusi pœnas in sanguine solvit. Antoninus appoplexiâ mortuus est, cum triduo mutus jacuisset. Severus podagrâ impatiens, venenum hausit. Maximinus cum filio à militibus discerptus est, exclamantibus, ex pessimo cane ne catulum quidem relinquentem esse. Decius vix biennio potitus Imperio, hiatu terræ absorptus est. Gallus & Volusianus adversus Æmilianum proficiscentes, à militibus perempti sunt. Diocletianus post varias ægritudines, tabe & insanâ correptus est, cum videret se Christianum nomen extinguere non posse. Maximianus verò, cum vellet imperium, à quo sponte se abdicaverat, resumere, ejus insidiis Constantino detectis, laqueo sibi vitam eripuit. Denique nullus est qui vindictam à Deo de Judæis Christianicis, & primis fidei nostræ persecutoribus, ignoret: illi enim ab eo tempore quo morti ab eis traditus est Christus, per totum mundum vagantur, & transeunt de gente in gentem, & de regno ad populum alterum, juxta Prophetarum suorum vaticinia, sine Duce, sine Judice, sine Templo, sine Sacerdotio, & ne unum quidem terræ cespitem possident, omnium ludibrio & contemptui expositi sunt, & innumeras calamitates patiuntur, quæ juxta Danielis vaticinium in æternum perseverabunt. Quod certè evidens argumentum est, fidem nostram esse verissimam, & Christum, ejus authorem & consummatorem, esse verum Deum: si enim verus Deus non esset, ut ipse dicebat, subindeque falsam tradidisset doctrinam, dubium non est, quin Judæi eum interficiendo, qui usque adeo impiè gloriam divinam ad se transtulisset, magnum & gratissimum Deo præstitissent obsequium: unde divinæ bonitati non videtur consentaneum, quod post illud facinus Gens illa tam multis, tam diuturnis, & tam magnis calamitatibus vexetur; quin potius videtur quodlibet aliud scelus ab eis commissum, ob unam illam actionem remittendum fuisse: maxime cum (ut arguit D. Chrysostomus, Oratione 3. adversus Judæos) olim Deus pœnas eorum idololatriæ debitas omnino remiserit, propter mortem unius qui legem transgressus fuerat, à Phinees eorum duce illatam. Si Phinees (inquit) unico perempto homine, totâ numinis iram adversus populum placavit, tamque multos homines eripuit ab ira divina unius hominis cades, multo magis hac vobis oportuit accidere, si legis transgressor erat quem vos crucifixistis. Cur igitur quasi Phinees, viro legis transgressore perempto, justus habitus est, & sacerdotio honoratus; vos autem cum in Crucem egeritis virum impostorem, ut dicitis, non modo non inde feris laudem & honorem, verum etiam acerbiora patimini, quam cum filios vestros mactaretis? An non istud perspicuum est, etiam vehementer tardis & hebetibus, quod postea quam adversus Salvatorem, ac Principem orbis impiè egistis, talis sit de vobis sumpta vindicta?

Non solum Tyranni, qui in Ecclesiam ferro & igne sævierunt, sed etiam Hæresiarchæ, qui eam verbis & scriptis extinguere conati sunt, & quorum persecutio quodammodo fuit atrocior (ut enim ait Tertullianus: *Persecutio Martyres, hæresis verò apostatas fecit, & Tyranni in corpora tantum.*

tantum, heretici vero in animas multo pretiosiores sevierunt.) Hæreticæ, inquam, ferè omnes infelici exitu mortui sunt, ut præcipue videre est in Lutheranæ & Calvinianæ hæresis Sectariis: Lutherus enim cum sua quam constupraverat Moniali jacens, repente mortuus est. Carolstadius desperatione adactus, sibi ipsi vim intulit. Bucerus lecto deturbatus à Dæmone, effusus per cubiculum passim huc illuc visceribus, multisque cruciatibus exanimatus, expiravit. Zuinglius in bello quod contra suos populares excitaverat, occubuit. De Calvino verò Beza scribit, ipsum varijs ante obitum morbis fuisse consumptum, nempe phthisi, colicæ, asmate, calculo, podagrâ, & emicranîâ. Addit Bolzeus constans esse, eo quoque morbi genere fuisse percussum, quo impius Christi hostis Herodes interit, is est pedicularis, torum ejus corpus pervadens, & foedissimo ac virulentissimo ulcere corrodens. Refert præterea eum ob malevolentiam, sibi & iis qui eum circumstantibus ante mortem, gravem, Dæmonibus invocatis, jurantem & blasphemantem miserè expirasse. Imò quod diem atque horam destitatus sit & execratus, quam unquam studiis & scriptiõibus impendisset. Mitto non minùs horribiles aliorum Sectariorum exitus, qui doctrinam Ecclesiæ Romanæ oppugnaverunt, de quibus videri potest Erasmus Alberus lib. 2. contra Carolstadianos.

§. VI.

Prophetarum vaticinia, sextum credibilitatis nostra argumentum.

151. **H**oc argumentum maximi ponderis est, & evidenter veritatem fidei nostræ suadet: unde Christus ipse ad Scripturas Prophetarum, Judæos incredulos meritò provocabat, Joan. 6. *Scrutaminis Scripturas, quia testimonium perhibent de me.* Et paulò post: *Si Moysi crederetis, utique crederetis & mihi.* Et ad Romanos 1. fatetur Apostolus se esse segregatum in Evangelium, quod Deus ante promiserat per Prophetas. Item D. Petrus Epist. 2. cap. 1. postquam narravit mysterium Transfigurationis, cujus ipse testis oculatus extiterat, audieratque vocem illam de Cælo delapsam à magnifica gloria, attestantem Christi Divinitati & doctrinæ: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacuit, ipsum audite.* addit: *Et habemus firmiorem Prophetici sermonem, cui bene facitis attendentes tanquam lucerna lucenti in caliginoso loco.* Quod eo fine addit, ut rectè expendit D. Augustinus serm. 27. de verbis Apostoli, cap. 4. quia ad probandam Christi Divinitatem, & veritatem ejus doctrinæ, firmius erat argumentum, quod ex Prophetiis, de illis & vero Messia prædictis, sumebatur: *Sunt enim* (inquit) *homines infideles, qui sic detrahunt Christo, ut dicant eum magicis artibus fecisse quod fecit (ut Judæi illi qui dicebant, in Beelzebub, Principe Dæmoniorum, eiecit dæmonia, Luc. 11.) Possunt ergo infideles delatam de Cælo vocem, per illicitas curiositates ad magicas artes referre: sed Prophetia antea fuerunt. Nondum erat homo Christus, quando misit Prophetas. Si ergo magicis artibus fecit ut coheretur mortuus, nunquid erat magus antequam natus?* Hoc præmissio, sic arguo.

152. Nullus potest certo, infallibiliter, in particulari, & cum omnibus circumstantiis, multo ante prædicere futura contingentia, nisi Divino Spiritu affatus sit, juxta illud Isaïæ, *Annuntiate quæ ven-*

Tom. IV.

Atura sunt, & dicemus quia dii estis vos: & istud Tertulliani in Apolog. cap. 20. *Idoneum, opinor, testimonium Divinitatis, veritas divinationis:* quare in Tractatu de Angelis ostendimus, quod nec ipsi etiam Angeli futura contingentia, seu libera, naturaliter cognoscere possunt: Atqui Prophetæ veteris Testamenti, multa ante sæcula, omnia ferè quæ ad Incarnationem, Nativitatem, Passionem, Resurrectionem, & Ascensionem Christi, aliaque ejus mysteria spectant, prædixerunt in particulari, quoad singulas illorum circumstantias: Ergo Spiritu Dei afflati scripserunt, ac proinde nostra Religio ab iis prænuntiata, non aliunde quàm à Deo profecta est. Major & Consequentia patent: Minor verò suaderetur, expendendo singula Prophetarum vaticinia, quibus prædicta mysteria prænuntiarunt.

B Incarnatio ergo Verbi Divini Baruch. 3. prædicta est: *In terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Nativitas ejus ex Virgine Isaïæ 7. *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium.* Locus Nativitatis Michæ 5. *Et tu Bethleem Ephrata parvulus es in millibus Juda: ex te mihi egredietur qui sit dominator in Israël.* Ejus prædicatio Isaïæ 61. *Spiritus Domini super me, eo quod unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde, & predicarem captivis indulgentiam &c.* Ejus miracula Isaïæ 35. *Tunc aperientur oculi cecorum, & aures surdorum patebunt. Tunc saliet sicut cervus, claudus, & aperta erit lingua mutorum.* Ingressus ejus in Jerusalem Zachar. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi iustus, & Salvator: ipse pauper, & ascendens super asinam, & super pullum filium asinae.* Proditio ejus per Discipulum Psal. 140. *Qui edebat panes meos, magnificavit super me supplantationem.* Venditio ejus triginta argenteis Zachar. 11. *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.* Et paulò post: *Tuli triginta argenteos & projeci illos in domum Domini.* Dolores & cruciatus passionis ejus, cum summa patientia & mansuetudine tolerati, Isaïæ 53. *Sicut ovis ad occisionem ducetur, & quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum &c.* Crucifixio ejus inter katrones ibidem versu 12. *Cum sceleratis reputatus est.* Irrisiones & blasphemie Judæorum, vestimentorum divisio, & oratio pro inimicis in Cruce, Psal. 21. ferè toto. *Fellis & aceti potatio, Psal. 68. Dederunt in escam meam fel, & in siti mea potaverunt me aceto.* Resurrectio Psal. 15. *Non dereliques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Denique Ascensus in Cælum Psal. 67. prædicitur: *Ascendisti in altum, cepisti captivitatem: accepisti dona in hominibus.* Unde cum Tertulliano concludendum: *Igitur apud nos tot de Deo oraculorum fides tuta est, jam scilicet probatorum, quia cum illis, quæ quotidie probantur, prædicebantur. Eadem voces sonant, eadem littera notant, idem spiritus pulsant, unum tempus est divinationi futura præfari, &c.*

§. VII.

Prophetie Sybillarum, septimum credibilitatis nostra fidei argumentum.

Vaticiniis Prophetarum addenda sunt Oracula Sybillarum, quas multi Patres, post Theophilum Antiochenum, Gentilium Prophetissas appellant, & quarum tanta fuit veneratio in orbe, ut multi existimarint eas de Cælo lapsas, teste Clemente Alexandrino, lib. 1. Stromatum. Earum

Hh

vaticinia referunt Augustinus 18. de Civit. cap. 23. A
Cyrillus Alexandrinus lib. 8. contra Julian. & fu-
sius Lactantius passim in institutionibus, & quod
amplius est, Clemens Alexandrinus lib. 6. Stro-
matum refert particulam Concionis D. Pauli, in
qua fideles hortatur ad lectionem Sybillinorum
voluminum, his verbis: *Libros Græcos sumite, &
Sybillas agnoscite, quomodo unum Deum signifi-
cent, & ea qua futura sunt, & invenietis in eis
Filium Dei clarius & apertius scriptum.* Denique
adeo familiare fuit olim Christianis, convincere
Gentiles per oracula Sybillarum, ut propterea
Sybillæ appellarentur, teste Origene lib. 5. con-
tra Celsum. Et sane ex illarum vaticiniis evidens
sumitur credibilitatis nostræ fidei argumen-
tum: cum illæ præcipua Christi & humanæ re-
demptionis mysteria prænuntiarent, & litteris
mandarent, tantæ prænotionis certitudine & cla-
ritate, ut præterita magis quàm futura scripsisse
videantur; ut patebit referendo illarum oracula,
quæ decem fuisse perhibentur, earumque patriæ
cognomina sunt hæc: Cumæa, Cumana, Persica,
Hellepontica, Lybica, Samia, Delphica, Phry-
gia, Tyburtina, Erythræa.

255.

In primis ergo Sybilla Cumæa summam tem-
porum tranquillitatem in adventu Christi futu-
ram prædixit, verbis ferè similibus his, quibus
Isaias paciferum Messie adventum vaticinatus est.
Ea autem hæc sunt:

*Cum Deus ab alto Regem demittet Olympo,
Tunc terra omnipotens fruges mortalibus agris
Reddet inexhaustas, frumenti, vini, oleique:
Dulcia tunc mellis diffundent pocula celi,
Et niveo latices erumpent lacte suaves:
Oppida plena bonis, & pinguis culta vigeant:
Nec gladios metuet, nec belli terra tumultus:
Verum pax terris florebit omnibus alta:
Cumque lupis agni per montes gramina carpent:
Permisti que simul pardi pascentur & hœdi:
Cum vitulis ursi degent, armenta sequentes,
Carnivorisque leo præsepia carpet uti bos:
Cum pueris capient somnos in nocte dracones,
Nec cadent, quoniam Domini manus obteget illos.*

Sybilla verò Cumana Filij Dei Incarnationem
prædixit, his carminibus:

*Tunc ad mortales veniet, mortalibus ipsis
In terris similis, natus Patris omnipotentis,
Corpore vestitus &c.*

Sybilla Persica de Prædicatione & Baptismate
Præcursoris hæc prænuntiata est.

*Tunc quoque vox quedam veniet per deserti locorum
Nuncia, mortales miseros qua clamat ad omnes,
Ut rectos faciant calles, animosque repurgent
A vitiis, & aquis perlustrantur corpora mundis,
Sybilla Hellepontica, inter alia multa oracula,
hanc de doctrina Christi reliquit divinationem.*

*Ille legem Dei complebit, non violabit,
Persimilem formam referens, & cuncta docebit.*

Sybilla Libyca tale protulit de Christi miraculis
vaticinium.

*Ille quidem morbis pressos sanabit, & omnes
Lætos, quotquot ei fident, cæcique videbunt,
Incedent claudi, surdis audire licebit,
Insolitas mutis dabit formare loquelas,
Expellet furias, oppressi morte resurgent.*

Eadem quoque Sybilla clarissimè prædixit mi-
raculum multiplicationis quinque panum in de-
serto, & his versibus expressit:

*Placabit sultus, in desertisque locorum,
Largè panibus ex quinis, & pisce marino,
Millia quinque virum satiabit, reliquæque*

*Bis senos cophinos implebunt Virginis alma,
Sybilla Samia de Christo ingrediente in Jerusa-
lem, super pullum asinae sedente, hoc protulit ora-
culum:*

*Salve casta Sion, permultaque passa puella,
Ipse tibi inscens Rex en tuus intrat a fello,
Erga omnes mitis, jura quo tibi, quo jura demas,
Intoleranda tibi, quæ fers cervice subacta.*

Sybilla Delphica de passione Christi hæc scripsit:
*Impinger illi colaphos, & spura scelestis
Israël labiis, nec non & fellis amari
Apponet escam, potumque inmitis acciti.*

Sybilla Phrygia mortem Christi his cecinit car-
minibus:

*Scindetur templi velum, mediumque diei
Nox tenebrosa tribus premet admirabilis horis,
Et tridui somno peraget admirabilia facta.*

B Sybilla Tiburtina Christi resurrectionem & as-
censionem in hunc modum prædixit:

*Sed postquam triduo lucem repetiverit, atque
Monstravit somnum mortalibus, atque docendo
Cuncta illustravit: cœlestia tecta subibit,
Nubibus invehit.*

Denique Sybilla Erythræa de finali judicio, &
signis quæ debent ipsum præcedere clarissimè
disseruit, his carminibus:

*Judicij in signum tellus sudore madescet,
Et rex æternus, summo descendet Olympo:
Scilicet ut carnem, mundumque ut judicet omne,
Unde Deum fidi, diffidentesque videbunt
Summum cum Sanctis in sæcli sine sedemem &c.*

§. VIII.

Testimonia Oraculorum, octavum credibilitatis
nostræ fidei argumentum.

N On solum Sybillarum vaticinia, sed etiam
Dæmonum oracula de veritate nostræ fidei
testimonium perhibere, Deo spiritum & au-
thorem mendacij ad testificandam veritatem co-
gente. In primis enim Apollo Delphicus (ut refe-
runt Suidas verbo Augustus, Suetonius in Octa-
vio, & Nicephorus libro 1. cap. 17.) dixit Deum
ab Hebræa femina carnem sumpsisse, & cum du-
mutus extitisset, fateri tandem coactus est Cæsa-
ri Augusto, qui ei Hecatumbem obtulerat, ut ab
eo responsum obtineret, sibi impositum fuisse si-
lentium à puero Hebræo, qui Deus existens, cun-
cta pro arbitrio disponebat, his nempe verbis:

*Me puer Hebræum, Divos Deus ipse gubernans,
Cedere sede jubet, tristissemque redire sub Orcum.
Aris ergo dehinc ratiis abscedito nostris.*

Item Milesius Apollo consultus, & de Chri-
sto interrogatus, his verbis ipsum commendavit:
*Mortalis erat corpore, sapiens, prodigiorum effe-
ctor, sub Ducibus Chaldeis armis comprehensus,
clavis, fustibusque amaram mortem patietur.*

Clavis & palo finem tolerabit acerbum.

E Refert etiam Marcellus Ficinus libro de Chri-
stiana Religione cap. 2. ex Porphyrio ethnico in
libro de responsis, Hecatem Deam interroganti-
bus de Christi anima respondisse: *Viri pietate
præstantissimi est illa anima, hanc colunt à rigidi-
tate alienam. Hic Christus pius in cælum conscendit.*

Insuper Plutarchus, opusculo de defectu ora-
culorum, refert Dæmones alicui Præfecto Tibetij
Cæsaris retulisse, magnum Pana mortuum esse,
eamque ob causam se amplius responsa edere
non posse. Quod vel eà die quâ Christus mortuus
est, vel paulo post contigit. Unde merito cum
Pico Mirandulano concludendum est: *Magna*

insania est, Evangelio non credere, cuius veritatem sanguis martyrum clamat, Apostolica resonant voces, prodigia probant, ratio confirmat, elementa loquuntur, & DÆMONES CONFITENTUR.

§. IX.

Testimonia Gentilium, Iudeorum, & Mahumetanorum, nonum, credibilitatis nostræ fidei argumentum.

257. Cvm Novatianus cap. 18. de Trinit. rectè dixerit, Firmum esse genus probationis quod ab Adversariis sumitur, ut veritas etiam ab ipsis inimicis veritatis probetur, vel ut loquitur Eucherius homil. 2. de Paschate, Validis absque dubio nritur privilegijs, qui causam de Adversarij asserit instrumentis; non possum efficacius veritatem fidei nostræ suadere, quàm adducendo ea quæ in ejus laudem ipsius Adversarij, nimirum Gentiles, & Judæi, ac Mahumetani protulerunt, & scriptis commendarunt: plura enim in laudem & commendationem Christi & nostræ Religionis in eorum libris reperiuntur. Nam in primis ex Gentilibus Plato in libro de legibus hæc scribit sanè admiratione dignissima: *Mensura omnium non homo, sed Deus est, maximè verò si Deus fiat homo.* Item interrogatus quandiu standum ipsius legibus foret? respondit: *Donec aliquis sacrior homine in terris appareat, qui fontem omnibus veritatis aperiat, quem denique sequantur omnes.*

Cæsar Augustus (ut referunt Suidas, Cedrenus, Nicephorus, & alij) aram Romæ in Capitolio erexit, cum hac inscriptione, ARA PRIMOGENITI DEI, qui putatur esse locus in Capitolio, ubi nobilissimum Templum antiquitus erat Jovis Capitolini: eo verò prostrato, successit Basilica Dei Genitricis Mariæ, dicta ea de causa, ARA CÆLI. Alij dicunt Dei Genitricem Mariam, infantem in ulnis habentem, sublimem in aère ab eodem Augusto illic esse conspectam.

D. Augustinus lib. 1. de consensu Evangelistarum refert, quod cum Tiberius mortem Christi accepisset, eum in Deorum album adscribere voluit, sed à Senatu impeditus est, qui noluit Christum pro Deo agnosci, quia dicebat eum esse zelotypum, nullumque alium Deum secum permittere.

Narrat quoque Lampridius in vita Severi, Imperatorem Adrianum omnia Tempia in honorem Christi dicasse, & ut imposterum templa absque idolis extruerentur, & extructa diruerentur, edixisse: sed Augures dissenserunt, & in eum acriter invecit, quod mente conceperat impediverunt; sed tamen locupletissimum de Christi Divinitate & innocentia reliquit testimonium.

Alexander Severus in Oratorio imaginem Christi servabat, coram qua singulis diebus procumbebat. Antoninus verò Pius, audiens hanc sententiam, *Alteri ne feceris quod tibi fieri non vis*, inter Christianos pervagatam, mirificè eam commendavit, dixitque eum fore virum omni exceptione majorem, qui eam ad amissum observaret, multaque bona de Christo ipso, tanquam illius sententiæ authore, referre solebat.

Extat insuper Plinij junioris ad Trajanum Epistola, quæ probatos mores, sanctosque Christianorum ritus describit, dicens: *Eos esse solitos stato die ad lucem convenire, carmenque Christo*

Tom. IV.

A quasi Deo dicere secum invicem, seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne larocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent. Quod in causa fuit, ut idem Trajanus ab eorum persecutione desisteret.

Demum leguntur in calce Apologiæ Justin Martyris tres Imperatorum Romanorum Epistolæ, in commendationem Christianorum, in quarum una testatur Marcus Aurelius, qui eam ad Senatum Romanum scripsit, se in re proflus desperata, Christianorum precibus, insignem de hostibus victoriam reportasse, & in media Germania, montibus undique cum suis conclusum, in extrema siti, optatam è Cælo pluviam obtinuisse, quos propterea egregiè commendans, jubet ut si quis Christianum deinceps accusaret, vivus comburetur, quemadmodum videre est tum in Justino, tum in Baronio, qui eas litteras sub annum 176. num. 22. ad verbum refert. Hæc quoad Gentiles.

Quantum verò ad Judæos, celebre reperitur de Christi miraculis, & sanctitate, Josephi testimonium, lib. 18. Antiquit. cap. 4. ubi de illo hæc scribit: *Fuit autem his temporibus Iesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est: erat enim mirabilium operum effector, & Doctor omnium eorum qui libenter audiunt quæ vera sunt. Et multos quidem Iudeorum, multos etiam ex gentibus sibi adjunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum, cum Pilatus in Crucem agendum decrevisset, non deseruerunt hi qui ab initio eum dilexerunt. Apparuit enim eis teritià die iterum vivus: secundum quod divinitus inspirati Propheta, vel hæc, vel alia innumera miracula futura prädixerant; sed & in hodiernum diem Christianorum, qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseverat, & genus. Philo etiam disertissimus Iudeorum librum scripsit de sanctitate & puritate vitæ primorum Christianorum, Alexandria degentium, ut testatur D. Hieronymus in lib. de Scriptoris Ecclesiasticis.*

Denique Christi nomen, etiam apud ipsos Mahumetanos, Christianæ Religionis insensibilissimos hostes, venerabile est: Mahumetus enim in Alcorano (teste Marcilio Ficino lib. de Christiana Religione cap. 2.) Jesum Christum Dei virtutem, sapientiam, animam, statum, Spiritum, Verbumque, afflatu quodam divino ex Maria Virgine perpetua natum, appellat; atque ipsum fuscitasse mortuos, aliaque plurima miracula divinitus effecisse, & cunctis Hebræorum Prophetis esse sublimiorem. Unde ex Mahumetanis, qui Mahumeti sepulchrum visunt, nisi etiam Christi sepulchrum viderint, nondum satis purificati existimantur: qui Christi vel Mariæ nomen contumeliosè commemorat, apud eos severè puniuntur. Inducit præterea idem Mahumetus in Alcorano Deum ita loquentem: *Cum Prophetas alios alijs præfecerimus, eosque allocuti fuerimus, Christo Mariæ filio, animam nostram propriè conferentes, vim atque virtutem præ ceteris præbuimus.*

Demum quoties Evangelium nominat, quod sacratissimè facit, toties proprio cognomento librum appellat lucidum; aliquando etiam addit esse lumen testamenti, castigationem, rectamque viam timentibus Deum.

Confirmatur hoc testimonium ex iis quæ refert Duverderius, Historiographus Gallus, in compendio Historiæ Turcicæ, in vita Bajazeti secundii. Quo tempore (inquit) Bajazetus, pacis cum Venetis initæ suavitatibus frueretur, T. Alfimanus

H h ij

quidam (Sacerdos est Mahumetica Secta) qui à longa annorum serie Alcoranum legebat in Templo Sancte Sophia, die quadam librum manu re-nens, ut aliquot ejus paginas Imperatori, magnâ populi comitatio cæterâ, exponeret, subitò cum in terram projiciens, fixèque intuitus Bajazetum: Miror (inquit) Domine, Principem adeò doctum, & sapientem, falsi hujus Legislatoris, quem Tu Prophetarum omnium maximum credis, non agnovisse ineptias. Scias nihil inesse divini legibus ab eo præscriptis, omnes sensuum oblectamenta respiciunt, quibus homines alliciant; nec alio fine impostorem illum voluisse, solâ gladij pugnâ, legis sue controversias dirimi, quam ut stropharum suarum agnitionem præriperet. Eas sæpe cum Christianorum legibus contuli, & semper cum notabili differentia meritorum, Christianas reperi fundatas in puritate vite mirabili, & in inconcussa omnino veritate. Mahumetica nihil aliud sunt, quam turpitudines, & ludificationes. Vnde concludo amplectendam solam IESU CHRISTI Religionem.

Erat Bajazetus Principum omnium superstitiosissimus, qui proinde Talismanum vix hac ultima verba complementem, è templo extrahi, ac protinus occidi jussit. Veritus tamen publicationem hujus nuntij, quod tantopere sue glorie præjudicabat, severissimè prohibuit omnibus qui sermonem illum audierant, ne cuiquam de eo aliquid revelarent. At is, pro cuius honore Sacerdos ille mortem adeò generosam pertulerat, loqui fecit Turcam Illyricum, illustris illius Tragœdia spectatorem, ne à Christianis regionum illarum nesciretur, ex qua mirè edificati sunt. Hæc Duverdius,

§. X.

Miracula à Christo, ejusque Discipulis, & alijs Sanctis viris edita, decimum credibilitatis nostræ fidei argumentum.

261.

VIs miraculorum ad confirmandam veritatem maxima est, cum illa (ut ait Chrysostomus homil. 14. in Matth.) sint pignora divina omnipotentia, hoc est opera in quibus nobis ita elucet Dei potentia, ut constet quod nulla creatura hæc potuerit præstare; vel ut alij dicunt, sigilla Divinitatis, quibus Deus ea quæ credenda proponit, obsignare solet: ideòque si quæ doctrina confirmatur miraculis, tanquam à Deo revelata, dubitandum non est, quin ipsa sit vera, & divinitus tradita. Multis autem, magnisque miraculis, fidem Christianam à Christo, ejusque Discipulis confirmatam esse, testatur Apostolus ad Hebræos 2. his verbis: *In nos confirmata est, contestante Deo signis; & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus Sancti distributionibus.* Id etiam constat ex quatuor Evangelij, ubi passim cæci, muti, surdi, claudi, paralytici, leprosi, hydropici, & alij leguntur à Christo sanati; mortui etiam suscitati, dæmones è corporibus pulsati, maria solo jussu sedata, & calcata, futura libera certissimè prædicta, & alia innumera signa & miracula; quæ (ut ait D. Joannes) si enarranda essent per singula, nec ipsum arbor mundum capere posse eos qui scriberentur libros. Unde bellissimè Chrysostomus homil. 14. & 28. in Matth. ait Evangelistas, nubes quasdam signorum (miraculis scilicet innumeris, veluti guttis pluvie, fectas) grandi verborum paritate ea transcurrisse signa, neque in singulis immoratos esse, sed unico verbo miracu-

lorum pelagus comprehendisse.

Stultum autem & ridiculum est quod aliqui infideles dixerunt, nempe Christum tot & tam stupenda fecisse miracula, ob excellentiam temperamentum quo prædita erat adoranda ejus caro: nam, ut rectè arguit Michaël Medina libro citato de recta fide in Deum, Christus Joan. 4. absentem filium Reguli sanavit, verbi unius pronuntiatione: non igitur vi corporeâ; neque enim vis corporea in locum adeò remotum à Christo potuisset agere. Deinde ea vis egisset in omnia æquè distantia à Christo, & non unum, sed omnes ægros, in sphaera illius activitatis sanasset; nam vis corporea, ut temperamentum, egisset sine consilio & electione; neque fuisset determinata ad illum in particulari sanandum, & non omnes alios, æqualiter à Christo distantes. Inde sequitur, quod neque Christus fecit sua miracula vi astrorum, ut aliqui Astronomi delirant, citati ab eodem Medina: nam aspectus Astrorum non agit ad libitum causæ eligentis, sed duntaxat in locum illi aspectui expositum: At Christus ubi & in quos voluit exercuit vim effectivam miraculorum: Ergo &c. Sequitur etiam non fuisse facta Christi miracula, vi imaginationis, ut alij somniarunt: imaginatio enim agit tantum intra corpus animale cujus est, nec potest immutare subiecta distantia. Addo quod nulla vis temperamenti, nec astrorum, vel imaginationis, potuit causare Solis eclipsem, sedare maria, effugare dæmones, mortuos suscitare, & cætera præstare quæ in Christi miraculis continentur.

Nec solus Christus in confirmationem nostræ fidei miracula edidit, sed etiam Apostoli, ut testantur Lucas in actis, Paulus in Epistolis, & Marcus capite ultimo sui Evangelij. Plura etiam leguntur facta miracula ab alijs Apostolorum coetaneis, & à successioribus eorum, quæ scripserunt SS. Patres, ut Athanasius in vita S. Antonij, Nyssenus in vita Sancti Gregorij Taumaturgi, Hieronymus in vita Sancti Hilarionis, Ambrosius in libro de Virginibus, Augustinus lib. 12. de civit. cap. 8. Severus Sulpitius in vita Sancti Martini, Theodoretus in vita S. Simeonis stylitæ, & Gregorius magnus in Dialogis. Sunt etiam nunc perpetua quædam & continua miracula, ut olim erant apud Judæos piscina probatica, & alia quædam: nam continuum miraculum capitis, & ampullæ sanguinis S. Januarij, Neapolitanis notissimum est, & experientia cuique volenti conspicuum. Plura etiam videntur Sanctorum corpora, post multa sæcula adhuc incorrupta & integra.

Corpus Sancti Claudij, Archiepiscopi primùm Bizuntini, deinde Monachi D. Benedicti, & Abbatis Monasterij Turenfis, ab annis plusquam mille ducentis in eodem Monasterio integrum prorsus & incorruptum perseverat. Idem testatur Clemens VIII. de B. Agnetæ Politiana, Ordinis nostri Virgine, in ejus Canonizationis diplomate: & tota Hispania demiratur non integritatem solum & incorruptionem corporis Seraphicæ Virginis Theresiæ, sed & cœlestem liquorem, omni balsamo puriorem ac suaviorem, ex eodem sacratissimo corpore promanantem. Quantum ad alia miracula perpetua, omni admiratione digna, taceo pulverem è sepulchro Sancti Raymundi Pennafortij, ab annis quadringentis, in morborum omnium remedium, sed præcipuè febrium, perenniter enascentem. Omitto Tau-

maturgam Imaginem S. Patris nostri Dominici, è cœlo ab ipsa Beatissima Virgine Deipara Soriana in Calabria delatam, quam singulari maiestate fulgentem nulla unquam ars potuit imitari. Quædam solum subijciam, gravissimis testimonijs, & quotidianis experiencijs comprobata. Affervantur in Monasterio nostro Castellano in Italia tres gemmæ, in corde B. Margaritæ Ordinis nostri Tertiariæ repertæ, in quarum una virgo pulcherrima coronam in capite gestans, cœlesti manu exarata conspicitur; in alia; cujus specialiter meminit Ludovicus Granatensis, Concione 3. de Christi Natali, Puer Jesus in medio duorum animalium; & in tertia S. Joseph instar senis itinerantis, è cuius humero pallium pendet, & ad pedes ejus ipsamet Christi ancilla Margarita, quæ à cunis cæca, Mysteria Incarnationis Christi, Nativitatis ejus, & obsequia ei in Egyptum fugienti, & inde revertenti, à S. Joseph exhibita, assiduâ meditationeolvebat. Nec minoris certitudinis est, quod de Sancta Clara de Monte Falcone legitur, scilicet cor ejus divisum, adhuc incorruptum, ex parte una interiori Christum Crucifixum, ex alia verò omnia Passionis ejus instrumenta, distinctè representare: & tres globulos ejusdem magnitudinis, & coloris, in ejus felle repertos, & in figura triangulari dispositos, in Mysterij Sanctissimæ Trinitatis confirmationem, non magis præponderare duos, vel omnes tres simul, quàm unum eorum, vel seorsum quemlibet, ut fusè narrat in ejus vita P. Simplicianus à S. Martino, Augustinianus, in Academia Tolosana Professor Regius, atque Decanus. Extant insuper in diversis orbis Ecclesijs plures Hostiæ, à multis sæculis consecratæ, non solum incorruptæ & integre, ut Divione in Burgundia, sed etiam firmissimè adherentes patenis, ut Fromestæ in Hispania, imò insuper alicubi miraculoso sanguine conspersæ, ut in Darocanis corporalibus, in Aragonia. Tot itaque convicta prodigijs humanâ credulitate, maxime credibilia sunt Mysteria, quæ alias vim omnem humanâ credulitatis excedunt; piaque datur nobis occasio, & excitatur confidentia dicendi Deo, cum Richardo à S. Victore, lib. de Trinit. cap. 2. *Domine si est error à te decepti sumus; nam ista in nobis tanti signis & prodigijs confirmata sunt, & talibus, quæ non nisi per te fieri possunt.*

265. Sed quamvis in confirmationem nostræ fidei nullum editum fuisset miraculum, non esset tamen minus credibilis: nam ut bellè ait S. Thomas 1. contra Gentes cap. 6. *Omni signis admirabilium esset, si ad credendum tam ardua, & ad operandum tam difficilia mundus absque mirabilibus inductus fuisset à simplicibus & ignobilibus hominibus.* Quem locum ponderans Cajetanus 3. p. quæst. 43. art. 4. sic ait: *Adverte ex libro 1. contra Gentes cap. 6. quod aut conceditur Christum fecisse miracula relata in Evangelio, vel non? Si conceditur, habetur illius Deitas, si non conceditur, etiam habetur ex hoc maximo miraculo, quod absque miraculis, contra totum mundum idola colentem pugnans, superaverit.*

Eodem discursu & ratiocinio utitur D. Augustinus in oratione contra infideles: *Cum constet (inquit) Romanum Imperium, universumque orbem tot potentibus viris, Philosophis, Oratoribus referent, Christi doctrinam ante repugnantem, ad eam postmodum fuisse conversum: quæro an virtute signorum & prodigiorum, ab antiquis ritibus,*

Tom. IV.

A *diuque observata religione, in hanc novam & inauditam sit hæc facta mutatio? si fateberis mundum ad hanc persuasionem tratum fuisse vi miraculorum, quibus contradicere nequaquam poterat, fateri oportebit, à Deo authore miraculorum, & qui facit mirabilia magna solus, religionem hanc processisse: sin autem negas ullis miraculis mundum ad hanc recipiendam fidem fuisse provocatum, negando miracula, ingens miraculum ingeris: quid enim potest dici mirabilius, quàm Romanum Imperium, totamque Gentilitatem, religionem quam tam acriter impugnabant, subverti, & moliebantur, desertis paternis ritibus, nullis visis signis, mirandisque operibus, sponte suscepisse, & in ea retinenda tam constantes fuisse?*

§. XI.

Innumerabilem Martyrum testimonium, undecimum credibilitatis nostræ fidei argumentum.

C *onstantia quoque & patientia Martyrum, qui inde nomen acceperunt, quod suo sanguine magnum fidei testimonium præbuerint, invictissimum est veritatis ejus argumentum: licet enim aliqui hæretici pro suis erroribus mortui sint, pluresque hæreses de suis martyribus gloriantur, ut ex Apollinari refert Nicephorus lib. 4. histor. cap. 23. sunt tamen peculiare circumstantiæ Catholicorum Martyrum, quæ hujus argumenti vim mirabiliter augent, & Religionis Christianæ veritatem ac sanctitatem manifestè declarant. Prima est eorum multitudo: nam pro alijs sectis pauci mortem subire voluerunt; pro fide verò Christiana innumerabiles fuere Martyres, qui sanguine suo illi subscribere, ejusque veritatem testati sunt: unâ enim die tota Thebæorum legio petijt, & intra triginta dies septemdecim millia Romæ interfecta fuere, & in nocte quâ memoria natiuitatis Christi recolitur, viginti vel amplius millia combusta sunt: unde Hieronymus Epistolâ ad Heliodorum refert se revolutis Romanorum Pontificum annalibus, invenisse numerum Martyrum ita crevisse, ut si omnium memoriam vellemus celebrare, singulo quoque die celebranda essent trium millium natalitia. Quare meritò Gregorius homil. 17. in Evang. exclamat: *Totum mundum fratres aspici-te, Martyribus plenus est: jam pene tot qui videamus non sumus, quot veritatis testes habemus: Deo ergo numerabiles, nobis super arenam multiplicati sunt; quia quanti sint, à nobis comprehendendi non possunt.**

Secundo consideranda est atrocitas tormentorum, quæ Christiani Martyres passi sunt: non enim solum gladio, sed etiam cruce & igne interempti sunt; adeo ut Christiani ea propter per contemptum Cruciaris vocati solerent, eo quod communiter in crucem agerentur; nonnumquam Sarmentis, quia ad dimidij axis stipitem revincti, subjectis sarmentis, passim cremabantur.

Tertiò ponderandus est modus patiendi, non solum æquo animo, sed etiam cum summa lætitia, & cum magnis signis innocentie & sanctitatis; & sæpè etiam sapientissima responsa, & rationes plusquam humanas suæ fidei reddentes.

Accedit quartò, quod non solum viri naturâ fortes & constantes, sed & senes decrepiti, ut Si-meon ille Jerosolymitanus Episcopus, qui centesi-

Et h. iij

mo vigesimo vitæ suæ anno cruci affixus fuit; & fœminæ imbecilles, atque infantuli, & virgunculæ, quæ naturaliter vel ipso nudi ensis, aut sanguinis effusi aspectu exanimari solent, tormenta crudelissima, mortemque acerbissimam passi sunt: hoc enim certè vim divinam arguit. Unde Ecclesia in communi oratione de Virgine & Martyre dicit: *Deus qui inter cetera potentia tua miracula, etiam in sexu fragili victoriam martyrij contulisti.* Et Ambrosius lib. de Virginitatibus, paulò post initium, non immeritò sic exclamat de S. Agnete martyre, tredecim annorum: *Magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium invenit ætate!*

Miraris (inquit Tertullianus) *Lucretia generositatem, quæ vim stupri passa, culcrum sibi adgit in conspectu propinquorum, ut gloriam sibi castitatis suæ pareret? Miraris Mutij fortitudinem, qui manum suam dexteram in ara cremavit, ut hoc factum ejus fama haberet? Miraris Regulum Romanorum ducem, qui captus à Carthaginiensibus, cum se unum pro multis Carthaginiensibus compensari nolisset, maluit, hostibus reddi, & in arca genis, stipatum undique extrinsecus clavibus transfixus, tot Cruces sensit? Mirare potiùs de Christianis unius virginis Agnetis constantiam. Hæc* (subdit Ambrosius) *tredecim annorum, pro Dei defensione martyrium passa est. Hæc inter cruentas carnificum impavida manus, hæc stridentium gravibus immobilis tractibus catenarum, nunc furentis mucroni militis totum offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata: vel si ad aras invitata raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis, trophæum Domini signare victoris &c.*

268. Denique in Christianis Martyribus considerandum est, quod illi non tantum tenuere eadem dogmata quæ docet Ecclesia, verum etiam ex illis hausere martyrij sui constantiam, puta ex reali manducatione Corporis Christi, & potatione sanguinis ejus, ut docent Cyprianus in serm. de Cœna Domini, & Augustinus super Psal. 22. ubi sic ait: *Hoc Calice inebriati erant Martyres, quando ad passionem euntes, suos non agnoscebant, non uxorem sentem, non filios, non parentes, & gratias agendo dicebant, Calicem salutaris accipiam.* Et Tract. 84. in Joan. dicit Martyres effundentes suum sanguinem pro Christo, quæ de mensa Dei acceperant, pariter Domino reddidisse: Sed manifestum est quod realiter fuderunt suum sanguinem, & reddiderunt Christo: Ergo pariter Christi Sanguinem biberant realiter, & non solum figurativè, ut docent hujus temporis hæretici.

269. Quod Cyprianus & Augustinus dicunt de manducatione Corporis Christi, asserit Bernardus serm. 61. in Cantica, de memoria Passionis ejus, eam scilicet mirum in modum Martyres ad patienter & alacriter toleranda tormenta adjuvasse: *Non sentiebat* (inquit) *Martyr sua, dum illius vulnera intuebatur. Stabat tripudians & triumphans, toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, non modo fortiter, sed & alacriter sacrum è carne sua circumspiciebat ebullire cruorem. Vbi tunc anima Martyris? nempe in tuto, nempe in petra, nempe in visceribus Jesu: si enim in suis esset visceribus, scrutans ea ferrum profecto sentiret, dolorem non ferret, succumberet, & negaret: nunc autem in petra habitans, quid mirum si in modum petra duruerit?*

§. XII.

Concordia & consensio maxima Doctorum nostræ fidei, undecimum credibilitatis ejus argumentum.

Hoc etiam argumentum efficax est ad veritatem doctrinæ Catholicæ suadendam: videtur enim omnino impossibile, ut tam diversi intellectus in tam multa dogmata convenirent, nisi ab uno aliquo supremo spiritu dirigerentur, qui mentes hominum in unitate continere posset: si cut non posset ordo universi in tanta partium diversitate diu subsistere, nisi uno divino & continuo spiritu continuarentur, ut eleganter ait Tullius. Porro tanta est inter Doctores Catholicos concordia, ut etiam diversarum gentium & nationum fuerint, diversisque sæculis & regionibus floruerint, uno tamen ore locuti videantur, juxta illud Lucæ 1. *Sicut locutus est per os Sanctorum.* Nec obstat quòd aliquando inter se pugnant videantur, & in varias & discordantes sententias ire: solum enim circa problematicas quæstiones inter eos est controversia, nulla verò circa res & mysteria fidei pugna vel dissensio; in hoc concidunt omnes, & sibi coherent. Nec mirum, cum Catholica veritas Deum pacis auctorem suum recognoscat, qui nihil in sua doctrina discors, nihil dissonum patitur: *Non enim* (inquit Tertullianus lib. de spect. cap. 23.) *amat falsum auctor veritatis: adulterinum est apud illum omne quod fingitur.*

Multos audivit D. Joannes Apocal. 14. in Cœlo cantantes, & citharizantes in citharis suis; unicam tamen ex tot discordantibus vocibus & sonis harmoniam audivit, suavissimè modulantem. Siclicet plures fuerint à Spiritu Sancto inspirati Propheta (ait Rupertus) qui diversis modis futura cecinerunt; licet varij sint Doctores, qui diversa, imò aliquando contraria docere videntur; eorum tamen omnium voces ita inter se concordant, ut una omnino sit vox; imò ex hac diversarum vocum dissonantia, suavior efficitur harmonia & concentus.

Spiritus intelligentiæ multiplex est, ait Sapient, sed tamen unicus; multiplex, quia variae sunt Doctorum & Prædicatorum linguæ & voces; unicus, quia una est eorum doctrina, utpote ab uno spiritu inspirata: ideò Aetuum 1. dicitur, quòd plures super Apostolos apparuerunt linguæ, & dispersitæ, unus tamen sedit supra singulos eorum Spiritus, ut una illis esset fides, eademque animorum ac scientiarum consensio.

Magnum certè olim fuit divinæ virtutis miraculum, quòd ex una voce, linguarum confusione plures effecerit vociferationes; sed longè melius potentiam suam & sapientiam Spiritus Sanctus manifestat, dum plures voces ad unum redigit concentum, juxta illud: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum, & hoc quod continet omnia scientiam habet vocis;* in morem videlicet chori Magistri, qui vocis seu concordie scientiam habet, & cantores ita continet, ut omnium voces in unius concentus perfectam harmoniam coeant. Unde Rupertus in Joan. appellat Spiritum Sanctum, *Doctissimum veritatis Præcentorem.* Sicut enim in Musica, & harmonico choro, in quo variae resonant voces, & ad melodiam concinunt, quædam altè modulata, sublimius personant; aliquæ profundum musices gradum infimius tenent, aliæ mediarum servant tenorem;

nec vocum diversitas harmoniam confundit, sed mirè servat, & eleganter concinnat; imò ex vocatione varietate concors discordia modulatè conflatur: sic in Evangelicæ veritatis & doctrinæ concentu, licet variæ sint Doctrinæ & Prædicatorum linguæ, unus tamen est fidei, & veritatis Spiritus; ideòque licet sub varijs & dispersis linguis Spiritus Sanctus apparuerit, unus tamen ignis supra singulos sedit.

Ab hac doctrinæ concordia omnes aliæ sectæ longissimè recedunt: Plus (inquit Tertullianus lib. 2. de anima cap. 2.) diversitatis invenies inter Philosophos, quàm Societatis, cum & in ipsa societate diversitas deprehendatur. In eadem civitate Atheniensis, alij alia, & diversi diversa fenserunt. Epicuræi Divinam Providentiam negarunt, Stoici asseruerunt. Aristippus in voluptate corporis summum bonum collocavit. Anthyllenes in virtute animi constituit. Imò Augustinus 19. de civit. cap. 1. refert ex Marco Varrone ducentas octoginta de summo bono sententias. Item alij unum mūdum adstruebant, alij plures, alij innumerabiles, ut non immeritò illa urbs, Babylon, id est confusio, potuerit appellari, in qua nihil haberetur firmum, sed omnia contrarijs inter se erroribus distraherentur.

Nec minori discordiâ, & sententiarum, seu errorum contrarietate, inter se dividuntur hæretici, ut in antiquis notarunt Irenæus lib. 1. cap. 5. Tertullianus lib. de præscript. cap. 42. Athanasius Epist. ad Liberium, & Epiphanius hæresi 47. In recentibus autem notum est quàm multæ sectæ ex hæresi Lutheri pullulaverint, & quàm parùm coherentes loquantur in multis. Omitto innumeras Calvinistarum discordias, quas Feu-ardentius, libro cui titulus est idioma Gallico, *Entremangeries des Ministres*, fusè descripsit. Tantùm dicam, non mirum esse quod à se invicem illi dissentiant, quicum semetipsis pacem & concordiam habere nequeunt. Cocleus enim in opere inscripto, *Lutherus septiceps*, varias Lutheri à seipso dissensiones & contradictiones in omnibus ferè fidei capitibus refert; & in solo Eucharistiæ articulo triginta sex à Gasparo Saxone in tabula contra Lutherum notatæ sunt; ut certè eum spiritu vertiginis, adinstar Babylonice turris ædificatorum, actum fuisse, evidenter appareat. Coccius viginti quatuor antilogias Calvinii refert: & Nicolaus Romeus in libro qui inscribitur, *Calvini effigies*, spectaculo 9. & 10. quorum titulus, *Calvinus sibi discolor*, ostendit librum institutionum Calvinii esse centonem contradictionum, & numerat viginti primarias, & plusquam sexcentas consecutivas. Addit Andreas Duvallius, Doctor Sorbonicus, in Tractatu de fide, quæst. 1. Calvinii institutiones nunquam fuisse reculas, quin pleraque, & quidem maximi momenti, vel ab ipso cum viveret, vel à Ministris post ejus mortem, mutata sint, ut in articulo de causa peccati: in prioribus quippe editionibus, clarè & distinctè Deum peccatorum, non tantùm secundum substantiam, sed etiam secundum malitiam & deformitatem, autorem statuit; in posterioribus verò, etsi rem ipsam retineat, mollioribus tamen verbis, & aliquo pacto ambiguis, ad evadendum utitur.

Ratio autem hujus inconstantie est, quia hæresis non in divino spiritu, sed in humano fundatur, qui varijs & inconstans est, nec semper sibi coheret. Unde egregiè Dionys. cap. 14. de divin. nomin. *Vera sapientia est à multis opinionibus*

convertens, & ad unam, veram, & uniformem congregans cognitionem, & uno univoco lumine complens. Quæ verba exponens D. Thomas ibidem lect. 4. subdit: *Illi qui cognoscunt veritatem, conveniunt in una sententia: Sed illi qui ignorant, dividuntur per varios errores.* Variæ enim sunt mendaciæ falsitatisque semitæ, cum una tantùm sit via, quæ ad veritatis & sapientiæ palatium ducit, & ut egregiè Tertullianus ait: *Hæc est veritatis integritas, & quæ ei debetur disciplina plenitudo, & equalitas timoris, & fides obsequij, non mutare sententiam, non variare judicium.*

B *DISPUTATIO II.*

De Scriptura, & Traditione.

Explicato objecto fidei, agendum est de regulis quibus illud infallibiliter proponitur, ex quibus duæ sunt inanimatæ, quæ sensum suum vivâ voce explicare non possunt, nempe Scriptura & Traditio, de quibus in hac disputatione breviter differemus: tres verò animatæ & loquentes, nimirum Ecclesia, Summus Pontifex, & Concilium, de quibus paulo fusiùs agemus in sequentibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Utrum Scriptura Sacra sit infallibilis regula fidei?

Priusquam resolvamus hanc quæstionem, pauca de Scriptura Sacra, ejusque dignitate, utilitate, divisione, nec non de varijs ejus versionibus, præmittenda esse censuimus. De quaduplici autem ejus sensu egimus in disputatione præliminari ad totam Theologiam, art. 9. ad quem locum Lectorem remittimus.

§. I.

Quid sit Scriptura Sacra?

Scripturæ Sacræ nomine intelligitur Scriptura, instinctu & motione Spiritus Sancti scripta, non modò sensum, sed etiam verba dictantis, juxta illud 1. Petri 1. *Omnis prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humanâ allata est aliquando prophetia, sed Spiritu Sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines.* Et 2. ad Timoth. 3. *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum.* Unde per hoc differt Scriptura Sacra, à definitionibus Conciliorum, vel Summorum Pontificum, quod ista dictantur quidem à Spiritu Sancto quoad sensum, quando sunt definitiones de rebus fidei, non tamen quoad verba; Scriptura verò Sacra, quoad utrumque, à Spiritu Sancto dictata est. Quare frequenter legimus in Scriptura, Prophetas testari Dominum fuisse ad illos locutum: *Isaïa 5. Hæc dicit Dominus exercituum: Jonæ 1. Factum est verbum Domini ad Jonam, & Jeremiæ 36. interrogantibus primatibus Hebræorum, quomodo ex Jeremiæ ore Baruch descripsisset sermones illos, respondit: Ex ore suo loquebatur quasi legens ad me omnes sermones*